

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Andr. Qvenstedii, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. in
Acad. Witteberg, Ethica Pastorum, & Instructio Cathedralis,
sive Monita, Omnibus ac ...**

Quenstedt, Johann Andreas

Wittebergæ, 1708

VD18 13565508

XXXVI. Superbiam, vanam ostentationem & inanem gloriam fugiat, humilitatem
verò & animi demissionem sectetur.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082)

rigit, &c. Rectè *Gvil. Estius* Com. in I. Tim. III. pag. 781. *Hospitalitas hæc*, inquit, *non in eo sita est, quod quis lautè mensam instruat, eamque semper expositam habeat divitibus ac nobilibus, aut improbis mensarum affectis, sed quod Christianos ac Dei servos de viâ adventantes ac recessionem egentes, eos præsertim, qui spiritualia seminant, hospitio suscipiat, foveatque; quod laudatissimum est opus liberalitatis ac misericordie.* Nec solum ipse sit liberalis & beneficus in pauperes divini Verbi Præco, sed etiam crebras ad beneficentiam erga egenos exercendam in Concionibus suis & privatis congressionibus instituat exhortationes, pauperumque curam suis commendet auditoribus. Sic S. Paulus huic chræ & collectis; ut ipse vocat, faciendis seriò insistebat; ad eas fideles sæpius in Epistolis suis hortabatur, illasque aliquando ipse Hierosolymam deferrebat. Vide *Carolus Regium* in Orat. Christian. lib. X. cap. VII. & VIII. ubi pro commendandis eleemosynis varia dicta affert. Confer etiam *Cl. Espenceum* Digress. in I. Pauli ad Timoth. lib. II. cap. I. de Clerico Hospitali.

XXXVI.

Superbiam, vanam ostentationem

nem & inanem gloriam fugiat, humilitatem verò & animi demissionem sectetur.

Εὐχρηστίς.

Apostolus Paulus Titum I. 7. Episcopum non vult esse αὐτοαδής. Est autem αὐτοαδής dictus quasi αὐτοαδής i.e. αὐτῷ αὐδόν, arrogans, superbus, seu sibi arroganter & pertinaciter placens, seipsum admirans, de se solo magnifice sentiens & alios præ se contemnens. αὐτοαδής, (inquit Camerarius in h. l.) est *pervicax seu contumax, qui nisi quod ipse facit, aut cogitat, nihil rectum putat, & idem alia formâ, φλαυτός, quales ferè sunt imperiti & indocti.* Sæpè enim, quo quisque rudior, hoc superbior. i. Tim. III. 6. ab Episcopo vel Presbytero exigit Apostolus, ut non sit τυφάδης, inflatus scil. opinione sapientiæ, Vulgatus in superbiam elatus. ὀρυπάς, vel ὀρῶς, fumus est, item ostentatio, jactantia, arrogantia, insolentia, Elatio, & sic τυφάδης, est fumo infectus, inflatus, insolens, ostentatione plenus. O-rator turgidus, (qui nimium sibi placet in eo, quod dicit) quid nisi nimus & tragædus est, ad pompam facundus, in plausum ambitiosus, qui sua omnia eò derivat, ut os vulgi mereatur & de popularibus auris, inanibusque ru-

mori-

moribus famam, nomenque colligat. *Gregorius* lib. VIII. *Moral.* cap. 25. *Adulter*, ait, non prolem, sed voluptatem querit, ita vana gloria serviens *Prædicator*, rectè adulterare Verbum Dei dicitur, quia per sacrum eloquium non Deo filios gignere, sed suam scientiam de siderat ostentare. Optimè monuit *B. Lutherus*, teste *Matheſio* *Concione* XII. de Vita *B. Lutheri* pag. 129. ne *Concionatori* adſtent tres canes peſſimi; *Superbia*, *Avaritia*, *Invidia*. Ubi enim, inquit, regnat *superbia* & gloria humana, ibi exulat gloria divina & auditorum ædificatio. *Ambitioſa ingenii*, *eruditionis* & *eloquentiæ* ostentatio fidem *Oratori* non conciliat, sed detrahit. Nusquam onerosior est *superbia*, quàm in *Cathedra humilitatis*. Et ſtehet der *Prediger* auf der *Cangel* / nicht auf dem *Theatro*, für *Ortes* / nicht für ſeinem eigenen *Gabenspiegel*. Ob dona itaque divinitus concessa non *superbiat* *Orator Ecclesiasticus*, caveat etiam sibi, tanquam à peſſimo fure & nocentiſſima peste, inani gloriâ, laudibus & applausu hominum. Væ Vobis, quum laudaverint vos omnes homines, ait *Salvator* *Luc.* VI. 26. Hoc *Christi* verbum, inquit *Chryſoſtomus* *Homil.* 17. in *epiſt.* ad *Rom.* inſcribamus & parietibus & januis & menti, dicamusque continuè nobis ipsis: væ nobis, si quan-
do

do laudaverint nos omnes homines, nam ipsi etiam laudatores te postremo, velut vani honoris praconitque, quod ab ipsis fit, stultè amantem vituperabunt. Olim quidem applaudendi & acclamandi mos; à prophanis Gentium orationibus ac theatris ductus, diu hæsit in concionibus Ecclesiasticis. Si quid enim eleganter à Concionatore fuisset dictum, applausus populi in mediâ sæpe concione excitabatur. Testatur hunc morem s. Hieronymus Epistol. 2. ad Nepotian. Cum in Ecclesia doces, vide ne tam populi clamor, quam gemitus excitetur. Laus enim Concionantium in Lacrimis auditorum sita est. (die Thränen der Zuhörer sind das Lob der Prediger.) Memini ego, quod Gregorius Nazianzenus Praceptor meus à me rogaretur, ut exponeret, quid sibi vellet in Luca Sabbathum δευτεροψαλτον? respondit ille; Docebo te super hanc re in Ecclesiâ, in quâ omni populo mihi acclamante, cogeris invitatus scire, quod nescis, aut certè si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiæ condemnaberis. Fusè de eo agit Chrysostomus Homil. XXXVIII. ad populum Antiochenum Tom. IV. Oper. ubi inter alia inquit; Multi, ut in publicum prodeant & concionentur, multa faciunt, & si applaudentem multitudinem habent, quasi regum adepti sint, exiliunt gaudio.

Si autem silentio sermo eorum claudatur, maior illis ex silentio, quàm ex gehenna mœror incescit. --- Consideramus, quomodo videamur admirabiles, non quomodo mores componamus. Credite mihi, non aliter dico, dum mihi applauditur dicendi, per ipsum quidem tempus, humanum aliquid patior, & gestio & exulto. Postquam domum ingressus, plausores nihil adjutos esse, cogit avaro, & si quid profecisse debebant, per plausum & laudes amisisse, doleo, gemo & lugeo. Sed postea cum hoc loco, tum alibi deprecatur hanc populi laudationem mellifluus Doctor, & vehementer instat, ut prava illa consuetudo tollatur, quia multi Concionatores conciones suas ad plausus & laudes hominum comparandas instituebant; laudibus & applausu vulgi insolecebant, & quia populus interdum applausit ad ea, quæ non intellexit, ut ex adducto Hieronymi loco & ex Augustini ferm. 47. de diversis patet. Hinc Chrysostomus loco jam adducto, Sapius, ait, cogitari ponere legem plausus prohibentem & suadentem, ut cum silentio & convenienti decentia audiat. Sed sustinete, oro & credite mihi, si placet, hanc nunc legem firmabimus, ne quis auditor plaudat, quamdiu nos loquimur. Et Homil. III. in Act. Apost. Plausibus mihi non est opus, non laudantium vocibus & tumultu.

Unum

Unum duntaxat volo, ut cum quiete & intelligentiâ audientes, quæ dicuntur, faciat. Hoc mihi pro plausu, hoc pro laudationibus Etrursus Homil. II. de Lazaro; Tacete, inquit, qui hæc auditis, vestrum silentium mihi multò gratius est, quàm plausus, quare? quia vester plausus me gloriosorem facit, silentium vos magis compositos reddit. Piè Bernhardus Serm. LIX. super Cantica; Illius Doctoris libenter vocem audio, qui non sibi plausum, sed mihi plantum moveat. Felicior Orator, ejus persuasus quisq; de plebe sincerè pectus tundat, quàm si ad inanem eloquentiæ famam tota civitas plaudat. Quapropter Studiosus Theologiæ, ut aptum fiat instrumentum ad hoc sacrum munus ritè obeundum, maturè sese præmuniat & armet contra elationem, arrogantiam & jactantiam, quæ multò est perniciosior, cum in ipso suggestu oppugnat & vincit. Habeat semper, si non in ore, tamen in corde verba Pauli I. Thessal. II. 3. seq. Exhortatio nostra non ex imposturâ, neque ex immunditiâ, neque ex dolo, sed sicut probati sumus à Deo, ut crederetur nobis Evangelium, ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis neque in occasu caritatis, Deus testis est, neque quærentes

rentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis. *Augustinus* in Psalm. L. eâ re felices, qui audiunt, quàm qui loquuntur appellat. *Qui enim*, inquit, *discit, humilis est, qui autem docet, laborat, ut non sit superbus; ne malè placendi affectus irrepât, ne Deo displiceat, qui vult placere hominibus.* Propterea ad minuendam arrogantiam & superbiam in S. Litteris Doctores Ecclesiæ non Domini, non Magistratus, non Præsules, non principes aut Reges, sed servi, ministri, dispensatores, villici, præcones &c. appellantur, ut quoniam alieno auspicio res gerunt, non de alienâ laude insoleant. Si titillat honor, cogita te nihil aliud esse, quàm dispensatorem, non tuorum, sed alienorum bonorum. Cæterum Orator ecclesiasticus non solum in suggestu, sed & extra eum & ubique locorum omnem elationis, superbiæ & vanitatis significationem declinabit, in incessu, in vestitu, seu nimis pretioso & delicato, seu artificiosè & alio, quàm decet, modo composito. Nemini se temerè præferat; *Lactantius Firmianus* Lib. V. de justitiâ c. 15. inquit; *In hac vitâ seculari & præferunt se alteris homines, & de dignitate contendunt, quo nihil sædius, nihil arrogantius & nihil à sapientis ratione semotius est.* Rebus enim coelestibus contraria sunt ista universa terrena.

rena. Se suaque non magnificè venditet. Nihil enim perinde animos auditorum offendit, ut cum quis eximia de se prædicat. Multis familiare est illud vitium, quod Græci περιου-
τολογία appellunt. Metuentes, ne non laudentur ab aliis, ipsi se laudant & sibi plaudunt. Ipse *Quintilianus* Lib. II. c. I. fugiendam docet esse ostentationem, quod ea audientibus afferat non fastidium modò, sed odium. Nec alios Verbi Ministros præ se contemnat, significans, plus posse ex suis, quàm ex aliorum concionibus Auditores addiscere. *Verbum habes, & docendi gratiam, ne propterea putes, te plus aliis aliquid habere. Propterea debes maxime humiliari, quod pluribus donis præditus es*, inquit *Chrysostomus* Hom. XXXVIII. ad popul. Antioch. monet Apostolus Timotheum, (& in eo omnes Ecclesiæ ministros,) I. Tim. III. 6. ne sit τυφωδεις, inflatus, superbus, ostendit periculum verbis sequentibus, ἵνα μή τις κεῖμα ἐμπίση τῷ διαβόλῳ. Ne incidat in iudicium seu condemnationem Diaboli, h. e. ne propter superbiam eodem modo puniatur à Deo, quo Diabolus, videl. æterno exitio 2. Petr. II. 4. Jud. v. 6. ut explicat *B. Gerhardus* Com. in h. l. Sive ut *Piscator* exponit, ne Diabolus per sua organa, maledicos homines, probris, veluti laqueis, eum involvat atque im-

pediat, ne suo ministerio quicquam possit proficere. Hinc Lutherus vertit. dem Lasterer ins Urtheil fallen. Job. Crocius Com. in h. l. pag. 113. utramq; conjungit explicationem: Nam, inquit, momentaneus sacerdos, ut Hieronymus eum vocat, ubi inflatur, incidit in potestatem Satane, obnoxio fit multiplici criminationi, quam Diabolus per sua organa molitur, & tandem in eandem pœnam incurrit, ad quam condemnatus est diabolus, postquam factus esset Dei hostis. Ast dum elationem & superbiam Ecclesiæ ministris dissuademus, Humilitatem ipsis commendamus. Nam qvum hæ sibi repugnent invicem, etiam pugnantis sunt, qvæ de iis dicuntur. Vituperium illius, Iaus est hujus. Humilitas Christianismi signum est S. Macario Homil. 15. tutissimus virtutum omnium thesaurus Basilio, custos pudiciæ, mater patientiæ Bernbardo. Bonorum mater & radix, alitrix & occasio, simul & vinculum Chrysostomo loco citato. Nihil est, quod nos ita & hominibus charos & Deo faciat gratos, quam si vitæ merito magni, humilitate infirmi simus, ait Hieronymus Epist. ad Celan. Tom. I. Magna humilitatis vitus est, cui etiam Deitatis majestas se inclinat, inquit Bernbardo Verbo, Vera humilitas est divinæ gratiæ familiaritas, ei ergo studeat Ecclesiastes, si Dei gratiā con-

consequi cupit & retinere. Ex Gregorii lib. II. Epist. 4. sententia; *Nihil in Episcopali cervice splendidius fulget, quam humilitas.* Præclare Leo I. Serm. VII. de Epiph. Domini; *Tota, inquit, Christianæ sapientiæ disciplina non in abundantia Verbi, non in astutia disputandi, neq; in appetitu laudis & gloria, sed in verâ & voluntariâ humilitate consistit. Quam Dominus Jesus Christus ab utero Matris usque ad supplicium crucis pro omni fortitudine eligit & docuit.* Optimè ad exemplum Salvatoris provocat S. Papa, & ad illud imitandum Ministros Verbi invitat; Is in omni vitâ suâ humilis corde fuit. Matth. XI. 29. *Sequimini vestigia Magistri vestri, Præcones fidei; Estote humiles in humili Deo vestro, ut sitis excelsi in glorificato Domino, Deo vestro,* verba sunt Augustini in Enarratione Ps. L. Tom. VIII. Hoc ipsum quoq; præcipit Christus, loco jam dicto, & Joh. XIII. 14. & 15. peracto illo profundo humilitatis ministerio, lotionem inquam pedum suorum discipulorum, inquit; *ὑποδείγμα, exemplum (humilitatis & charitatis) dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis (Dominus servis, Præceptor discipulis,) & vos (qui conservi & æquales estis) faciatis.* Huc pertinet etiam monitum D. Henrici Hopfneri: *Estote parvi in oculis vestris, ut sitis magni in oculis Dei & Ecclesiæ.*